

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCORBUTO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

SCORBUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

MARCUS HARDIMAN,

HIBERNUS,

SOCIETAT. HIBERN. MEDIC.

NEC NON

SOCIETAT. AMERICAN. PHYSIC.

SOC. EXTRAORDINAR.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

AVUNCULO

ET AMICO SUO

ROBERTO HARDIMAN,

OB CURAM SUORUM VERE PATERNAM,

PAGINAS SEQUENTES

INSCRIBIT

MARCUS HARDIMAN.

DISSERTATIO MEDICA

IN ANGUINAM

DE

DE

ET ANGIO-SINO

SCORBUTO.

ROBERTO HARDIMAN

PHARMACIAE BOONVILLE PATRIAE

MAGNIS REQUISITIS

INSINUANT

QUONIAM in eadem regione, ubi medici
 tutam coluntur, sic speciosa modo
 in hac nostra lingua, delictis vix indolis
 pariter large et merito fuerit, atque nostram
 exercentes, sanos iam ad salutem pariter
 quorum infirmorum, rebus profectis domi
 possunt, attendere.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCORBUTO.

QUONIAM in omni regione, ubi mercaturam colunt incolæ, sic speciali modo in hac nostra Infula, deliciis vitæ industriâ suâ paratis large et merito fruente, artem nostram exercentes, animos suos ad salutem nautarum, quorum instrumento, rebus prosperis domi potimur, attendere decet.

Ideo cum nullum existit malum fociis navabilibus scorbuto perniciosius, spes mihi in animo est, me hunc morbum pro dissertationis medicæ inauguralis materiâ selegisse, non indecorum visum fore.

DEFINITIO MORBI.

Mihi liceat, characterem sequentem ex Symptomatology HOMII* nostri eximii excerpere.

“ Defatigatio post motum insolita, dolor musculorum omnium, spiritus male olens, denudatio et vacillatio dentium, gingivæ laxæ et tumidæ, orthopnæa et hæmorrhagiæ a variis locis.”

HISTORIA MORBI.

Utrum, necne, antiquis hicce morbus notus fuit, adhuc sub iudice est.

FRIENDIUS

* Vid. Principia Medicinæ.

FRIENDIUS in Historia Medicinæ suæ, vult, medicos attentionem suam ad hunc morbum initio sæculi decimi sexti primo dedisse, dum MILMANUS e contra cum aliis contendit, scorbutum patri etiam medicinæ innotuisse, ut ex scriptis suis patet.

Certum est, secundum sententiam auctorum medicorum haud parvi nominis, plurima signa scorbuti ab HYPOCRATE notari, sed ubique atra bilis pro causa, et splenis intumescencia pro symptomate morbi de quo hic agitur pathognomonico recensentur, et morbi aliorum viscerum abdominalium cum eo confunduntur. Nostro tempore hæc phænomena raro in scorbuticis apparent; ergo nuperi aliqui, hunc morbum antiquis notum fuisse, negant. Cum celeb. VAN SWIETEN facile crederem, scorbutum antiquis notum fuisse, sed ob navigationes contractiores, non tantum neque tam sæpe inter illos sævisse.

Varias ejus distinctiones, in calidum, et frigidum, prætereo; utpote nullum alium parentem, præter male fundatam opinionem, agnoscunt.

Socios navales, qui inter navigandum per longum tempus cibo ex frugibus confecto privantur, præcipue adoritur.

Auctores medici quidam asserunt, scorbutum, mærori indulgentes, sedentarios, et populos septentrionales (qui diæta ex vegetabilibus parca utuntur) invadere; sed ubi de causa proxima agendum erit, probare conabimur, materiam vegetabilem deficientem hujusce morbi pro sola causa proxima existere.

Mœstitia, quæ in populos septentrionales imperium plenius exercet, veresimiliter corpus humanum scorbutu proclive reddit.

CULLENUS in Synopsi sua Nosologiæ Methodicæ, Scorbutum in tria stadia dividit;
nempe

nempe incipientem, crescentem, et inveteratum.

Color oris luridus, cum faciei intumescencia aliqua, et sensu lassitudinis insolito post motum, scorbutum astare indicat; non longo post tempore gingivæ pruriunt, intumescunt, spongiosæ fiunt, et pressæ sanguinem facillime emittunt.

Crescente morbo, accedunt rigor articularum, spiritus male olens, denudatio et vacillatio dentium, dolores musculorum omnium, orthopnæa, et salivæ fluxus insolitus.

In tertio stadio, seu scorbuto inveterato, hæmorrhagiæ a variis locis, pustulæ, ulcera, et maculæ lividæ in gangrænam sæpe terminantes, leipothymia, et gangræna alicujus visceris aliquando superveniente, extremum spiritum edit æger.

Hæc sunt scorbuti signa, ubi gradatim (ut in CULLENI stadiis, quorum supra mentionem fecimus) procedit; sed jam recensita signa aliquando majori vi impetum faciunt, et morbus ad summum malignitatis brevi pervenit.

C A U S Æ.

Scorbutus non a contagio specifico oritur; nam in exemplis a LINDIO, VAN SWIETEN, et BOSQUILLON (in commentariis suis in CULLENI PRAXIN medicam), citatis, nautæ, qui ex eodem poculo liquores hauserunt, et in eodem cubili requierunt, ac focii hoc malo laborantes, scorbutu penitus immunes evaserunt.

In oppidis obsidione cinctis, teste auctore omni fide digno, (VAN SWIETEN scil.) morbus de quo agitur milites præfidiarios invasit; sed ab eodem auctore observatur, hoc potius tribui inopiæ

inopiæ plantarum recentium, quam diætæ ex vegetabilibus parcæ et parum nutrienti.

Alias res, nempe frigus, humiditatem, et temperamentum melancholicum humanum corpus ad scorbutum proclive reddere, lubenter concedam ; sed nequaquam mihi videtur, descriptionem ullam in scriptis medicis satis accuratam existere, scorbuti terrestris, qui a diætâ ex frugibus parca et tenui originem suam duxit, ut ab aliis morbis rite distingui possit. Et certe, tempore SYDENHAMI nostri, ne pustula quidem super frontem erumperet, quin pro signo scorbutico habebatur.

Nequaquam constat, aëra maritimum, defectu frugum non concurrente, hunc morbum unquam induxisse ; et aëra terrestrem scorbuto venienti non occurrere, probat exemplum a DONALDO MONRO citatum, ubi textor ex parte LONDINI *Spitalfields* dicta, victu animali teneris ab annis solum usus, frugibus ab eo in odio habitis,

habitis, ad ætatis suæ annum circiter trigessimum quintum scorbuto correptus fuit, et ope diætæ ex frugibus et acidis confectæ convaluit.

Multorum annorum experientia, et auctorum haud parvi nominis auctoritate, constat, et inter plerisque APOLLINEAM artem nunc exercentes convenit, inopiam materiæ vegetabilis hunc morbum inducere; præsertim quando causæ remotæ, utpote frigus, humiditas, animus demissus, et habitudo corporis cachectica, cum ea conjunguntur; nam revera in medicorum scriptis nullum adest exemplum confirmatum, ubi hicce morbus inter populos, qui ex plantis recentibus majorem nutrimenti sui partem traxerunt, grassabatur. Dum e contra, hodierna et fatalis experientia nos certiores facit, scorbutum fere semper, oriri in his casibus, ubi homines (sicut nautæ per æquora navigantes) per longum tempus fructibus orbati, victu animali sese aluerunt.

His

His positis fat erit nostro proposito, naturam fructuum (quatenus illa nobis nota fit) exponere. Constat ab experimentis FOURCROY et LAVOISIER omnia vegetabilia ex tribus elementis formari, oxygenio scil. hydrogenio, et carbone, ita inter se conjunctis ut semper æquilibrium conservetur justum, dummodo temperies modica fit ; at si paululum augeatur calor, destruitur prorsus hoc connubium, et elementa varie inter se conjuncta, substantias novas prioribus ex toto dissimiles, gignunt.

Carbo et hydrogenium conjuncta oleum formant, et oxygenium, magna saltem ex parte, per vasa lactea absorbetur.

Probat per experimenta ingeniosi EDMUNDI GOODWIN hujusce almæ academix alumni, (qui in dissertatione sua inaugurali experimenta ab eo instituta enarrat) sanguinem venosum colorem floridum adipisci absorptione (per
pulmones)

B

* Vide experimentum quartum.

pulmones) partis illius atmosphæræ, aëris puri dictæ.

Hujusce aëris vitalis basis oxygenium in nova lingua chemica appellatur ; quia ab ejus cum aliis substantiis conjunctione acida formantur. Hoc in regno vegetabili maxime abundans est ; ex frugibus autem quæ majorem acorem habent, hæ maximis viribus antiscorbuticis donantur, et reuera ad alia remedia in scorbuto curando medici nostro tempore nunquam confugiunt.

Igitur, quando sanguis seu e vasis arte chirurgica missus, seu ex diversis corporis partibus sponte fluens, colorem fuscum exhibet, et ulcera (quæ decursu morbi sæpissime apparent) lividum eorum colorem post aliquot dies exuunt, et faciem floridam aliquando post aliquot horas, solo vegetabilium recentium usu induunt ; fas est concludere defectum oxygenii hunc morbum

morbum inducere, et profecto hoc sublato tollitur scorbutus.

Hæc ad causam proximam, uti vocatur, nostri morbi tradendam, quæ methodo medendi satis conveniat, nostro proposito hujus almæ academix legibus obsequendi, forsan sufficerent.

Sed cum a viris celeb. aliæ opiniones de causa scorbuti prolatae sint, quasdam ex iis exponere, et quantum in nobis erit refutare conabimur. Medicus peritus MACBRIDE * contendit, fermentationem ad cibum concoquendum necessariam esse, et hoc modo aëra fixum (vinculum corporum primarium) in ventriculo humano extricari, et omnia vasa sanguinem vehentia penetrare et putredini occurrere..

Sed si quando, cibi saliti vel fumo indurati ingerantur, tunc ob statum organorum quæ concoctioni inserviunt malefanum, vel ob naturam cibi ipsius indurati, solutione et fermentatione

* Vide MACBRIDE'S Essays.

tatione alimentorum impeditis, hicce aër non extricatur, fluida in putredinem ruunt, et scorbutus inducitur.

Fermentatio certe accidit in experimentis extra corpus factis, sed nullum indicium fermentationis in vivo et sano corpore post pastum habemus ; nam ructus acidi statum ventriculi male sanum indicant, et merito a CULLENÓ pro signo dyspepsiæ in nosologia sua method. notantur. Præterea secundum opinionem et experientiam propriam * auctoris ingeniosi qui nuperrime de scorbuto scripsit, alimenta salita tantum absunt a macie inducenda, ut corpus obesum reddant. Si, secundum opiniones LIND et MILMAN, nutrimenti defectus hunc morbum induceret, et scorbutus ex affectione partium corporis solidarum primaria penderet, dieta ex animalibus lauta, et frigus modico gradu corpori applicatum, magno cum fructu adhiberentur ; et remedia tonica uti Cort. Per. et Chalybeata (quæ tam magna vi ad tonum fibrarum

* Vide TROTTER on Scurvy.

brarum motricium restituendum pollent) perutilia forent. Sed consensu omnium medicorum victus animalis et frigus scorbuticis nocent; et Cort. Peruv. et Chalybeata fere nunquam in hoc morbo, et si unquam, nullo cum fructu exhibentur.

Hac theoria nifus, MILMANUS aliquam analogiam inter scorbutum et typhum instituere molitur.

Sensum languoris, lassitudinis, et maculas lividas, quæ in scorbuticis apparent, ad opinionem suam firmandam adducit; sed duo alia phænomena multo majoris momenti hæc mala a se invicem sejungunt; nempe cibi fastidium et functionum animalium status male sanus, quæ typhum nunquam non comitantur, dum in scorbuto sensorii functiones ne minime quidem turbantur, et multo majorem alimentorum vim, quam in statu suo sano devorat æger.

Denique,

Denique, in arte sua exercenda medicum sæpe oportet, plus fidei empeiriæ felici, quam theoriæ utcunque ingeniosæ, sed experientiæ aduersanti, præbere.

Ex supra dictis, concludere velim, fluida oxygenio ad statum suum sanum necessario privata, post datum tempus solidas corporis partes afficere, et hinc oxygenii defectum pro causa scorbuti proxima jure haberi posse.

DIAGNOSIS hujusce morbi nulla difficultate, maxima saltem ex parte stipatur.

Certissima est si deficiente materia vegetabili, adsint defectus virium, spiritus male olens et gingivæ tumidæ.

A malo hypochondrico distinguitur, quia in hoc neque gingivæ tumidæ adsunt, neque ulcera quæ in illo fere semper apparent; a malo venereo, quia hoc genitalia præcipue, seu
palatum

palatum vel tonsillas occupat; et quia nullus gingivarum tumor in syphilitide (sine hydrargyri usu) in genere accidit.

Urina rubra pro signo scorbuti a VAN SWIETEN et aliis recensetur, sed cum tam multos morbos comitetur, minus recte, ut mihi videtur, in diagnosi formanda pro symptomate hujus morbi pathognomonico, annotatur. A diabete dignoscitur, quia in hac adest fluxus urinæ multo solito copiosior.

PROGNOSIS, nisi in summa corporis debilitate, vel diætæ vegetabilis deficientia, fausta est. In adolescentibus ergo, sanatu facilior est scorbutus quam in senibus, ubi sæpe terminari dicitur in atrophiam, hydropem, vel paralyfin, quæ in his difficillime curantur.

Quo difficilior respiratio, et quo magis ulcerantur gingivæ, vel maculæ nigrescunt, eo semper sævior morbus.

Ut hanc dissertationem ad finem perducamus, nobis restat, remedia quæ ad nostri morbi curationem maxime valeant, recensere.

METHODUS MEDENDI.

Cum morbus de quo hic tractatur præcipue focios navales invadit, meum est indicare quomodo venienti occurramus morbo, et postea quæ sit ratio huic morbo medendi.

Imprimis necesse est, ut navis pura fervetur, et ut munditia idonea apud nautas observetur.

Ex supra dictis patet, frigus et humiditatem corpus ad scorbutum proclive reddere; ergo quantum in nobis est, contra hæc incommoda nautas nostros permunire oportet. Hoc consilium absolvi potest usu indusii lanei, publico sumptu empti; præsertim si præfecti navales curent, ut omnia quam maxime commoda singulis reddantur. Hilaritas enim in mente nascitur,

nascitur, dum libera per superficiem corporis perspiratio est; sed e contra, gravitatis in pectore sensus et animus demissus, excretionem per cutem impedita, percipiuntur.

In servitio domestico quarta pars cibi animalis, et in servitio peregrino tertia pars abstrahi potest, dum loco ejus pisa cocta quotidie a nautis comedi possunt.

Caulis ut a Germanicis preparatus, et ab iis *Sour Krout* dictus, commeatus maritimi partem semper formare debet. Hoc magno cum beneficio, dum mundum circumnavigaverint utebantur focii præfecti Cook.

Cum cerevisia tenuis comparari possit, quod nunquam negli debet, libræ duæ singulis nautis quotidie dentur; hac deficiente, liquores spirituosi (parva quantitate) aqua, paululo sacchari et cremoris tartari ad gratam aciditatem admisti, in potum *punch* dictum optime conficiantur,

cianur, et nautis sæpius Indies potui dentur ; ergo idoneum erit pulveris crystallorum tartari parvam cistam inter commeatum maritimum recensere.

Acetum et succus limonum et aurantium libera manu distribui debent, cum aqua et saccharo admixtum, acetum liquorem gratum *lemonade* dictum format, qui ad preventionem et sanationem scorbuti æque utilis est. Vinum in hisce regionibus nimis magno pretio venit, ergo nautis etiam quando scorbutico laborant large administrari non potest, sed pro gargarismo optimo cum fructu adhiberi potest.

Fructus recentes in portu, publico sumptu emanantur, et nautis præsertim scorbuticis distribuantur ; nam æquum est, patriam, salutem quam pro illa filii sui amiserint recuperandæ, maternam curam impendere.

Vasa, in quibus continetur aqua, ex ligno sicco et vetere formari debent ; hoc enim ad sanitatem

sanitatem aquæ fervendam conducit. Si hæc inter navigandum forte deficiat, aqua marina lento calore distilletur, et postea pura sine sale admisto evadit; ante bibendum per aliquot tempus in vasis apertis actioni aëris atmospherici objiciatur.

* Remedium sequens a TISSOT laudatum ad ulcera gingivarum sananda adhiberi potest,

R̄. Mell. rosar. ʒss.

Spir. sal. marin. gtt. xx. M.

quo imbibatur linteolum sæpius in die gingivis applicandum.

Remedia jam enumerata ad unum omnia vires suas, ad oxygenium quod continent, debent.

Ingeniosus BEDDOES inspirationem aëris oxygenici ad scorbutum curandum suadet.

Nullus

* Vid. Avis au peuple.

Nullus dubito, quin machina pneumatica ad hoc propositum instituta, maxima beneficia humano generi inferre possit, et morbum de quo hic agitur non solum, sed aliud, adhuc funestius et eheu! immedicabile malum, brevi tempore solerti hominum ingenio cedendum fore. Hæc institutio duobus patronis celeb. gaudet; unus chemicorum nulli secundus, alter medicus sagax, quorum præcepta alta mente reposita mihi semper manebunt.

Si ægri, malo per longum tempus persistente, atrophia, hydrope aut paralyfi afficiantur, remedia quæ adversus hos morbos pollent, et alio recensentur, exhiberi possunt.

Morbi a me nunquam visi historiam tradere et remedia quæ adversus illum maxime pollent recensere, conatus sum; nulla spe vana evectus, aliquid novi proferendi, sed sententias medicorum qui de scorbuto bene tractaverunt, enumerare.